



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Tractatus De Censuris Romano Pontifici Reservatis**

**Ugolinus, Bartholomaeus**

**Venetijs, 1609**

De publicatione huius Bullę singulis annis, an offendens eam sæpius  
censuris obligentur. Cap. VIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61365)

De publicatione huius Bullę singulis annis,  
an offendens eam sepius censuris ob-  
ligetur. Cap. V III.

S V M M A.

- 1 Faciens aliquid, pro quo à diuersis ex-  
communicatione lata est, an in plures ex-  
communicationes incidat.
- 2 Offendens hanc Bullam an pluribus ex-  
communicationibus obligetur, ex quo  
sepius promulgatur.
- 3 Hæreticus per multos annos an noua ex-  
communicatione obligetur singulis an-  
nis, ex quo singulis annis Bulla hæc pro-  
mulgatur.
- 4 Offendens Bullam hanc in pluribus ca-  
pitibus in tot excommunicationes inci-  
dit, quot capita ipsius offendit.

Septima quæstio est, an ex quo  
singulis annis Bulla hæc pro-  
mulgatur, toties nouis excõmuni-  
cationibus constringatur, qui eam  
offendit. † Generatim an si pro eo-  
dem facto ab eodem, a diuersisve  
per sententias plures, legesve plu-  
res excommunicatio lata sit, in ex-  
communicationes plures incidat  
offendens, disputauimus in Tra-  
ctatu de Censuris capitu. 16. S. 3.  
Tab. 1.

- Quoad quæstionem propositã
- 1 † breuiter concludo hunc in excõ-  
municationem vnã tantum inci-  
dere, nam hoc sensit Nauar. in ca-  
ita quorundam, no. 11. num. 32. de  
iudæ. & Felicianus Episcopus Sca-  
lensis in Enchiridio de Censuris  
cap. 16. de excommu. versi. Ad ra-

3 tiones, etenim innotare potius ex  
cõmunicationes latas, quã nouas  
ferre credendum est. † Quare, qui  
in hæresim incidit, & si in excom-  
municationem huius Bullę sta-  
tim incidit, non tamen, si per mul-  
tos annos in ea perseueret, singu-  
lis annis noua excommunicatione  
irretitur, vbi Bulla hæc promulga-  
tur. Id quod locum habet, vel a di-  
uersis Romanis Pontificibus pro-  
mulgetur, atque sic sensit Nauar.  
eo. not. 11. num. 34. versic. Dixi ita  
latas, vt sint suæ. Ita igitur in hæc  
re concludendum cenleo, etenim  
iterata illa publicatio fit, vt supra  
dixi, quò magis, magisque fideliũ  
memoriæ hæc inhæreant, ac pette-  
riti ab offensione huius Bullę auo-  
centur.

- 4 Verum quid si quis plura capi-  
ta, vel vniuersa huius Bullę offen-  
dat, an in vnã, pluresve excom-  
municationes incidet, in tot scili-  
cet, quot Bullę capita offendit?  
Hoc nobis etiam dissoluendum  
proposueramus. In hac quæstione  
sine dubitatione concludendum  
est in tot excõmunicationes hunc  
incidere, quot Bullę capita offen-  
dit. Primò, quia, vbi quis quidpiã  
facit, ex quo plura delicta specie  
diuersa oriuntur, pro singulis deli-  
ctis pena imponi potest, dummo-  
do iterati ea pena possit, vt tradi-  
dit Bart. in l. Senatus. num. 1. ver.  
si vero resultant. ff. de accusa. & in  
l. nunquam plura. nume. 11. versi.  
Pro hoc. ff. de priuat. delict. ergo  
multo magis hic in excommunica-  
tiones

siones plures incidet, ex quo di-  
 versa facta sunt, pro quibus singu-  
 lis excommunicatio per Bullam  
 lata est, iterari enim excommuni-  
 catio potest, vt id nos plurib. pro-  
 bauimus in cap. 16. §. 3. Tracta. de  
 Censu. Præterea id probatur etiã,  
 quoniam qui plures clericos vna  
 percussione percutit, in tot excõ-  
 municationes percutiens incidit,  
 quot sunt clerici, quos percussit,  
 vt id asseruit Ioan. And. in cap. de  
 licitum. de reg. iur. lib. 6. in Mercur.  
 & nos disputauimus in eod. c. 16.  
 §. 3. nume. 8. ergo multo magis in  
 casu nostro. Alioquin si contrariũ  
 vellemus, impunitatem aliquorũ  
 cõsequeretur, propterea quod plu-  
 ra delicta committit contra l. 2. ff.  
 de priuat. delict. Nunquam plura  
 delicta concurrentia, dicitur enim  
 ibi, faciunt, vt vllius impunitas  
 detur, neque enim delictum ob  
 aliud delictum minuit pœnam.  
 Hæc ibi, facit quoque l. si seruus  
 seruus. ff. ad leg. aquil. ibi enim di-  
 citur, si seruus alienum seruũ sur-  
 ripuerit, & occiderit, & furti, &  
 dampni iniuriæ actionem compete-  
 re. Ergo multo magis in casu no-  
 stro id asserendum est. Quare, si  
 quis in hæresim aliquam incidat,  
 si appellet ad futurum concilium,  
 si romipetas offendat, ac demum,  
 si reliqua omnia peragat contra  
 Bullam, in omnes Bullæ excom-  
 municationes incidet, non enim  
 ob vnã causam excommuni-  
 catus excusatur, quò minus in  
 alias excommunicationes inci-

dat. argum. cita. l. 2. ff. de priua. de-  
 licit. Immo & in eodem genere de-  
 liciti si in plures species eius com-  
 mittit, in plures excommunicatio-  
 nes incidit, vt si in plures hæreses,  
 nam pro omnibus hæresibus ex-  
 communicatio fertur, & qui unã  
 hæresim habet, hereticus est. Non  
 est igitur, quod hac de re dubite-  
 mus, ad alia transeamus.

De Bulla hac an infideles affi-  
 ciat. Cap. IX.

S V M M A.

- 1 Baptizatus qui non est, offendens hanc  
 Bullam in eius excommunicationem,  
 ac censuras non incidit.
- 2 Iudei, ac turcæ excommunicari non pos-  
 sunt.
- 3 Catechumenus excommunicari non po-  
 test.

1 **N**ona quæstio est, ¶ an Bulla  
 hæc infideles afficiat, idest  
 an, qui baptizatus non est, si Bul-  
 lam hanc offendat, in excommuni-  
 cationem incidat. In qua quæstio-  
 ne concludimus, qui baptizatus  
 non est, esto Bullam hanc offen-  
 dat, in excommunicationem non  
 incidere, nam per excommunica-  
 tionem quis vsu communionis spi-  
 ritualium Ecclesiæ priuatur, vt  
 probauimus in Tractatu de Cen-  
 suris cap. 6. Tab. 2. quorum baptis-  
 mi susceptione participes effici-  
 mur, vt tradidit Catech. multis in  
 locis in expositione eius articuli.

Credo